HANSA-SCHULE

IN

BERGEDORF BEI HAMBURG.

XII. PROGRAMM.

OSTERN 1895.

INHALT:

1) DE C. SUETONII TRANQUILLI CONSUETUDINE SERMONIS QUAESTIONES SCRIPSIT R. DÜPOW.
2) SCHULNACHRICHTEN. VON DIREKTOR DR. GROSS.

JENA,
FROMMANNSCHE HOFBUCHDRUCKEREI
(HERMANN POHLE).
1895.

1895. PROGRAMM № 754.

De C. Suetonii Tranquilli consuetudine sermonis quaestiones

scripsit

R. Düpow.

De C. Suetonii Tranquilli rerum scriptoris consuetudine sermonis post Thimmium[1]) et Baggium[2]), quorum uterque totum eius dicendi genus complexus facere non potuit, quin nonnulla, quae accuratiore quadam quaestione egere videntur, aut praetermitteret aut strictim attingeret, adhuc nemo, quod videam, nisi Trachmannus[3]) scripsit, qui cum „de coniunctionum usu in illorum libris fere nihil legi" recte observasset, de coniunctionibus causalibus dissertationem composuit. Neque tamen minus desiderari mihi videtur accurata aliarum syntaxis Suetonianae partium disquisitio, ex qua hoc loco tractandum mihi proposui, quid de eius usu coniunctionum temporalium statuendum esse videretur. Neque vereor ne quis linguae latinae vel peritus vel studiosus in hac rerum grammaticarum unius scriptoris non excellentissimi ratione explicanda plane me operam perdidisse queratur; nam quicunque eiusmodi studiis operam navaverit, haud ignorare eum puto, quam non inutile sed necessarium sit ad universam linguae latinae historiam comprehendendam et describendam uniuscuiusque omnium temporum sriptoris elocutionem et dicendi usum diligentissime perquirere, ut ex omnium comparatione cognosci possit, quibus ex initiis ad quem finem per totum temporis spatium pervenerit lingua latina.

Priusquam autem aggrediar ad propositam dissertationem, haec monenda esse videntur. Omnia quae proferentur, pertinent ad eum Suetonii librum, qui est „De vita Caesarum", neglectis reliquis eius libris „De grammaticis et rhetoribus" atque „Deperditorum librorum reliquiis"; cuius rei causam Trachmannus[4]) eandem secutus rationem exposuit. Numeros paragraphorum, qui singulis exemplis adscripti sunt, sumpsi ex editione Rothii[5]), cuius etiam conformationem verborum plerumque me secutum esse apparebit. Ubi propter maiorem paragraphi amplitudinem vel alia de causa opportunum esse visum erat, ad locum facilius reperiendum paginarum et versuum numeri uncis circumclusi additi sunt.

De coniunctionum temporalium usu Suetoniano.

Coniunctiones, quibus Suetonius utitur ad inducenda enuntiata temporalia, hae fere sunt: postquam; ut (ut primum), ubi (ubi primum), simulatque (simul); dum, donec, quoad; antequam priusquam; cum; quando (quandoque). Praeterea pauca dicenda sunt de eis coniunctionibus, quae adhibentur ad significandam actionem saepius repetitam: cum, si, quotiens (quotiensque).

---

1) Thimm „De usu atque elocutione C. Suetonii Tranquilli". Regimonti 1867.

2) Bagge „De elocutione C. Suetonii Tranquilli". Upsalae 1875.

3) Aemilius Trachmann „De coniunctionum causalium apud Gaium Suetonium Tranquillum usu". Berolini 1886.

4) l. l. p. 5: „ab hac disputatione procul esse volui eam partem libri Suetonii qui »de illustribus viris« inscribitur, quae aetatem tulit; nam adeo mutilata atque exigua est, ut huic quaestioni tractandae non satis usui esse possit".

5) C. Suetoni Tranquilli quae supersunt omnia recensuit C. L. Roth. Lipsiae 1891.

In universum dicere possumus apud Suetonium, quem participiorum constructionibus maxime operam dedisse iam diu homines docti viderunt, ita ut linguae graecae rationem fere adaequaret, cum alias coniunctiones tum temporales aliquanto rarius inveniri quam apud ceteros scriptores romanos. Deinde iam hoc loco statuendum est eum modi coniunctivi tam studiosum fuisse, ut nonnullas coniunctiones, quas priores cum indicativo coniunxerunt, nisi cum coniunctivo coniunctas non adhibuerit. Quo fit, ut etiam apud coniunctiones temporales modum coniunctivum multo saepius inveniamus quam indicativum, neque id raro eis locis, quibus priores scriptores aureae latinitatis indicativum ponere solebant.

§ 1.

Postquam (quam).

Huius coniunctionis forma apud Suetonium semper „postquam", numquam „posteaquam" legitur. Utrum uno verbo „postquam", an duobus „post quam" Suetonius scripserit, vix certo affirmaverim; sed ita rem se habere puto, ut ubi sola sit coniunctio temporalis, unum vocabulum „postquam" habeamus, ubi ex addito accusativo vel ablativo appareat „post" esse praepositionem vel adverbium, et „quam" esse particulam comparativam, rectius duo verba „post quam" scribenda sint, praesertim cum non desint loci [Ner. 6, Tit. 11], ubi „post" et „quam" interpositis aliis vocabulis separentur. Quam rationem cum Rothius in editione sua probasset, duobus locis [Tib. 15, Galb. 2] errore vel neglegentia typographi factum esse videtur, ut falso legamus coniunctionem „postquam" in duo verba disiectam. Significatio huius coniunctionis apud Suetonium a communi scriptorum usu non differt; nostro sermone vertenda est *„nachdem, sobald als, seitdem"*.

De modis ac temporibus verborum ex hac particula pendentium haec dicenda sunt. Omnibus locis post coniunctionem „postquam" indicativus sequitur, coniunctivus, quem in tota latinitate rarissimum et plerumque dubium esse Draegerus [1]) docuit, apud Suetonium non invenitur. Quod in oratione recta vel in factorum enarratione non est mirum, quamvis alias coniunctivo Suetonius studeat, in obliqua autem oratione et quae ex alterius sententia pendeat, omnino eius coniunctionis usum hic scriptor evitavit.

In usu temporum, quae coniunctionem „postquam" sequuntur, distinguendum est, utrum ablativus vel accusativus temporis additus sit necne. Ubi deest talis temporis circumscriptio, inveniuntur duo tempora, perfectum et imperfectum, praesens et plusquamperfectum non adsunt; ubi addita est, perfectum et plusquamperfectum sequuntur. Ex his temporibus et apud reliquos scriptores et apud Suetonium longe usitatissimum est perfectum, quod sexies decies scriptum videmus his locis:

> *Iul.* 80: *postquam senatus . . edictus est. Aug.* 31: *postquam . . suscepit. Tib.* 1: *postquam . . convictus est. Tib.* 47: *postquam . . coactus est. Cal.* 44: *postquam . . attigit. Claud.* 13: *postquam . . moveri potuerunt. Nero* 28: *postquam . . recepit. Nero* 33: *postquam . . protraxit. Nero* 42: *postquam . . cognovit. Galba* 3: *postquam . . detexit. Otho* 4: *postquam . . decidit. Vesp.* 6: *postquam . . nuntiatum est. Tit.* 5: *postquam . . gestavit. Aug.* 5: *aliquanto post quam excessit. Claud.* 39: *paulo post quam . . decubuit. Nero* 6: *post VIIII menses quam . . excessit.*

Imperfectum, quod apud Ciceronem et Caesarem raro, apud Livium frequentius occurrit,[2]) Suetonius uno loco usurpavit:

1) A. Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache, 2. Bd., 2. Aufl., Leipzig 1881: v. II. p. 581, § 502. 2.

2) Draeger, H. S. II. p. 586, § 502, 1 d.

Tib. 15 [94, 2]: *Nihil . . praetermissum est ad maiestatem eius augendam, ac multo magis, postquam Agrippa abdicato atque seposito certum erat, uni spem successionis incumbere.*

Hic imperfectum suum locum tenere facile est ad intellegendum; complectitur enim illud enuntiatum temporale totum temporis spatium, quo post Agrippae abdicationem certum erat fore ut aliquando Tiberius imperium occuparet, per quod tempus omnes eo maiore studio augendae Tiberii maiestati incumbebant.

Cum plusquamperfecto item uno loco particulam „postquam" coniunctam videmus:

Tit. 11: *Excessit . . . post biennium ac menses duos diesque XX quam successerat patri.*

Sed hoc loco animadvertendum est „post" praepositionem esse cum accusativo coniunctam, quo temporis spatium accuratius circumscribitur. In eiusmodi enuntiatis utrum perfectum an plusquamperfectum ponendum sit, Hoffmannus[1]) uberius disputavit; et quamquam Baggius[2]) longius progreditur, cum dicit: „particulam »postquam« plusquamperfectum desiderare, cum tempus, inprimis certum ac statutum, inter primariam et secundariam enuntiationem interiectum sit, res est notissima", tamen non iniuria Draegerus rarum esse putat perfectum in enuntiato secundario; sed quod idem[3]) causam affert, cur id tempus scriptor elegerit, a Suetonio tale discrimen in his adhibendis temporibus observatum non esse videtur, cum non solum illis duobus locis, quos supra commemoravimus, Aug. 5, Claud. 39, ubi ablativi „aliquanto" et „paullo" additi sunt, sed etiam altero loco illi priori simillimo perfectum habeat:

Nero 6: *Nero natus est Anti post novem menses quam Tiberius excessit.*

Non dubitandum mihi videtur, quin sic verba in libris corrupta legenda sint.

Eadem licentia in eligendo tempore Suetonius utitur in eis enuntiatis, in quibus omisso adverbio „post" ex sola coniunctione „quam" pendet verbum finitum. Hunc dicendi usum etiam apud alios scriptores haud raro inveniri Draegerus loco paulo ante laudato docuit. Sed cum ex eius exemplis undique repetitis plusquamperfectum in eiusmodi enuntiatis praevalere videamus, Suetonius, apud quem quinquies hanc constructionem invenimus, tribus locis perfectum, duobus plusquamperfectum habet. Iam ut appareat, quam diverso et vario modo ibi temporis spatium a scriptore circumscriptum sit, singulos afferamus locos:

Galb. 6: *A Gaio Caesare . . substitutus, postridie quam ad legiones venit, . . plaudentes cohibuit. Vit.* 3: *Decessit paralysi altero die quam correptus est. Tib.* 60: *In paucis diebus, quam Capreas attigit, piscatori . . . perfricari . . . faciem iussit. Claud.* 17: *sexto quam profectus erat mense Romam rediit. Iul.* 35: *quem (sc. Pharnacem) . . intra quintum quam adfuerat diem, quatuor quibus in conspectum venit horis, una profligavit acie.*

Ex hoc extremo exemplo etiam cognosci potest, quam non studuerit Suetonius aequali membrorum conformationi, sed ut ita dicam inconcinnitate quadam gavisus sit; nam in duobus illis enuntiatis secundariis non solum tempora verborum diversa sunt („adfuerat", „venit"), sed etiam in priore membro ex coniunctione „quam" pendet enuntiatum, in posteriore, quod plane eandem vim temporalem habet, enuntiatum relativum scriptor adhibuit.

---

1) E. Hoffmann, Die Construction d. lat. Zeitpartikeln. Wien 1873.

2) l. l. p. 93.

3) l. l. II. p. 590, § 502, 1 g: *„Hier wird die Zeit des Nebensatzes vom Standpunkt der Gegenwart aus betrachtet ohne Rücksicht auf die Zeit des Hauptsatzes"* [errato factum est, ut hic legatur *„des Nebensatzes"*].

§ 2.

Ut, ubi, simulatque.

Coniunctiones temporales, quae nostro sermone vertuntur „*sobald als*“, quarum et significatio et constructio simillima est coniunctionis „postquam“, a Suetonio usurpantur „ut (ut primum), ubi, simulatque (simulac primum, simul)“; non inveniuntur apud eum eiusdem significationis coniunctiones a ceteris scriptoribus usitatae „ubi primum“ et „cum primum“ (sed conferas quaeso quae infra dicenda sunt in extrema paragrapho 5).

Ut.

Ex his longe frequentissima est particula „ut“, quae plerumque cum indicativo perfecti coniuncta est. Eius rei exempla sunt unum et quadraginta, quorum quinque habent „ut primum“:

Iul. 16: *ut comperit. Iul.* 26: *quod ut adeptus est. Iul.* 34: *ut . . deprehendit. Iul.* 82: *utque animadvertit. Aug.* 10: *confestim ut . . rediit. Aug.* 12: *sed ut cognovit. Aug.* 42: *ut tandem . . convaluit Aug.* 63: *deinde ut is obiit. Tib.* 50: *ut animadvertit. Tib.* 54: *sed ut comperit. Tib.* 62: *ut tandem . . cognovit. Cal.* 2: *ut . . rediit. Cal.* 6: *et ut demum . . palam factum est. Cal.* 13: *ut . . movit. Cal.* 14: *ut vero . . incidit. Nero* 8: *ut . palam factum est. Nero* 20: *statim ut . . adeptus est. Nero* 21: *utque . . constitit. Nero* 32: *verum ut . . fefellit. Nero* 34: *sed ut . . comperit. Nero* 36: *ut . . didicit. Nero* 40: *ut vero . . audivit. Nero* 42: *utque resipiit. Nero* 47: *ut comperit. Nero* 48: *ut . . ventum est. Nero* 49: *quod ut sensit. Galb.* 4: *utque evigilavit. Galb.* 11: *ut . . cognovit. Galb.* 17: *quod ut nuntiatum est. Otho* 4: *ut tandem . . data est. Otho* 8: *quod ut comperit. Otho* 11: *ut . . sensit. Vit.* 10: *utque . . adit. Vit.* 14: *utque legit. Vesp.* 19: *ut . . audit. Tit.* 4: *quod ut palam factum est.*

Aug. 8: *utque primum . . comperit. Nero* 22: *ut primum . . traiecit. Galb.* 12: *ut primum urbem introiit. Galb.* 23: *ut primum licitum est. Vesp.* 4: *ut primum . . attigit.*

In maiore horum exemplorum parte sunt verba cognoscendi et dicendi, quae pendent ex particula „ut“. Etiam in collocatione enuntiatorum Suetonius certam quandam legem observasse videtur; uno enim excepto loco (Galb. 12) enuntiatum secundarium antecedit, primarium aut totum aut maior eius pars sequitur.

Coniunctivum modum haec particula post se habet in oratione obliqua duobus locis, ubi enuntiatum secundarium adiungitur ad accusativum cum infinitivo:

Aug. 94 [79, 35]: *nota . . res est P. Nigidium . . ut horam . . acceperit, affirmasse. Tib.* 67: *existimavit quidam . . ut imperium inierit . . . recusasse.*

In his verbis peculiarem Suetonii usum cognoscere possumus, qui contra grammaticorum praecepta coniunctivum perfecti adhibeat pro plusquamperfecto. Sed satis constat [1]) eum leges consecutionis temporum, quam vocant, non ita diligenter observavisse, sed studio quodam neglexisse ac „maxime in perfecto coniunctivi utendo, ubi imperfectum aut plusquamperfectum exspectaveris, a veterum more recessisse“. Itaque huius consuetudinis explicatione opus non esse videtur.

---

1) cf. Roth, l. l. p. XXXV. Bagge, p. 95. Thimm, p. 3 et 83.

Ubi.

Particula „ubi“ munere coniunctionis temporalis fungens apud Suetonium tam rara est, ut non plus uno exstet loco cum indicativo perfecti verbi sentiendi coniuncta:

Tit. 5: *Sed ubi turbari . . sensit, redit ex itinere.*

Simulatque.

Particula „simulac“ vel „simulatque“ vel „simul“ in narratione rerum gestarum cum indicativo perfecti coniuncta a Suetonio non adhibita est. Contra in eis enuntiatis, quae ad tempus futurum referenda sunt, hac una Suetonius utitur eamque coniungit cum indicativo futuri exacti:

Cal. 33: *Tam bona cervix, simul ac iussero, demetur. Nero* 34: *Simul hanc excepero, mori volo.*

Sed hic animadvertendum est ea non esse Suetonii sed ipsorum imperatorum Caligulae et Neronis verba, quae a scriptore afferuntur.

Eadem coniunctione in oratione obliqua, ubi enuntiatum subiungitur accusativo cum infinitivo Suetonius quinque locis utitur, bis addito adverbio „primum“; sequitur eam coniunctivus plusquamperfecti, non perfecti, quem post particulam „ut“ positum esse supra vidimus. Sunt autem hi loci:

Iul. 29: *confisus . . facilius se, simul atque libuisset, veteranos convocaturum quam Pompeium novos milites. Galb.* 7: *Militi, qui . ., vetuit, simul atque indigere cibo coepisset, a quoquam opem ferri. Vesp.* 5: *somniavit initium . . felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemptus esset. Iul.* 30: *denuntiaret delaturum se nomen eius, simul ac primum exercitum dimisisset. Nero* 43: *affirmavit simul ac primum provinciam attigisset, inermem se . . proditurum.*

§ 3.

Dum, donec, quoad.

Harum coniunctionum temporalium significationes distinguendae sunt duae; nam aut utriusque enuntiati actiones eodem tempore fiunt, ut vertendae sint: *so lange als,* aut enuntiato secundario id tempus definitur, quo actio primarii ad finem adducitur, ut vertendae sint: *so lange bis.* Praeterea in prioris generis enuntiatis apud particulam „dum“ diiudicari oportet, utrum duae actiones per idem temporis spatium durent (*so lange als*) an actio enuntiati primarii initium faciat, dum actio secundarii fiat (*während*) [1]).

Dum = *während.*

Particula „dum“ apud Suetonium plerumque hanc significationem habet, neque abhorret a communi scriptorum usu, cum in oratione recta indicativum praesentis post se habeat. Eius modi loci sunt tredecim:

Iul. 4: *dum . . traicit. Iul.* 56 [25, 9]: *dum . . pervenit. Aug.* 76: *dum . . redeo. Aug.* 99: *dum . . interrogat. Tib.* 51: *dum . . spem facit. Tib.* 57: *dum . . minatur. Vesp.* 2: *dum . . appellat. Vesp.* 21: *dum salutatur. Vesp.* 24: *dumque consurgit ac nititur. Tit.* 5: *dum . . consulit. Dom.* 4: *dum . . quaerit. Dom.* 10: *dum . . investigat. Dom.* 16: *dum . . scalpit.*

---

1) Draeger, II. p. 602 et 604, § 507, 1.

In his duo sunt a ceteris diversi et digni, quos separatim tractemus. Nam si legitur:

Dom. 4: *Auditus est certe, dum ex eo quaerit,*

Suetonium hic recessisse a Ciceronis aliorumque consuetudine quis est quin videat? Neque enim dubium est quin Cicero [1]) scripturus fuerit: „auditus est, cum quaereret". Deinde veniam ad alterum locum:

Vesp. 2: *Ea demum extudit magis convicio quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat.*

Hic in enuntiato secundario non solum temporalis, sed etiam quaedam causalis vis inesse videtur vel explicativa, cum additum sit ad explicandum illud vocabulum quod est convicium, et vernaculo sermone verti possit: *dadurch dass, indem* [2]). Eandem vim causalem habet particula „dum" illo loco quem ex Ciceronis Bruto Suetonius affert:

Iul. 56 [24, 23]: *sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent . ., ineptis fortasse gratum fecit.*

Ibi Cicero, ut solet, indicativum perfecti habet; post Ciceronis tempora etiam in huius modi enuntiatis scriptores, inprimis Tacitum praesentis indicativum usurpare monet Draegerus [3]).

In enuntiato primario cum apud alios tum apud Suetonium plerumque habemus perfectum historicum, aut supplere debemus; uno loco enuntiatum secundarium subiunctum est participio perfecti:

Tib. 51: *neque aegrae adesse curavit defunctamque et dum adventus sui spem facit, . . funeratam prohibuit consecrari,*

ubi „*funeratam*" idem est quod „*postquam funerata est*". Imperfectum pro perfecto in enuntiato primario non invenitur nisi uno loco:

Vesp. 21: *dum salutatur, et calciabat ipse se et amiciebat.*

Hoc tempus facile explicatur, cum illo loco de consuetudine imperatoris Suetonius dicat.

In oratione obliqua vel ex aliena sententia pendente vel alio modo obliquata Suetonius hanc particulam quinquies usurpavit:

Aug. 94 [79, 21]: *lego Atiam cum . . venisset, posita in templo lectica, dum ceterae matronae dormirent, obdormisse.* *Cal.* 38: *gloriatus est expergefacta e somno Caesonia, quantum egisset, dum ea meridiaret.* *Nero* 35: *Privignum . . mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.* *Tib.* 14: *cum quidem illum, . . ut falsum et secretorum temere conscium, eo ipso momento. dum spatiatur una, praecipitare in mare destinasset.* *Dom.* 17: *Puer . . narrabat . . illum . . conluctatum diu, dum modo ferrum extorquere modo . . oculos effodere conatur.*

In tribus prioribus exemplis secundum communem usum coniunctivus imperfecti sequitur coniunctionem, in duobus posterioribus indicativus praesentis. In hoc usu indicativi forsitan offendere quis potuerit; nam ea quae in enuntiato secundario commemorantur, non sunt facta, quae scriptor ipse attulit, sed sine dubio altero loco ad imperatoris consilium, altero ad narrationem pueri referenda sunt. Trachmannus [4]), qui de eodem indicativo pendente ex particula „quod" in oratione obliqua verba facit, hunc „usum etiam apud alios scriptores late (?) patentem et ad omnia fere enuntiata pertinentem" Reussii [5]) verbis haud scio an recte sic explicaverit: „scriptor alacritate

---

1) R. Kühner, Ausführl. Grammatik d. latein. Sprache, 2. Bd., 2. Abtlg. Hannover 1879 cf. II. 2, p. 884, § 202, 5 Anm. 4.

2) cf. Krebs, Antibarbarus, ed. J. H. Schmalz, I. p. 436.

3) l. l. II, p. 607, § 507, 1 A.c.

4) l. l. p. 21.

5) Reuss, De coniunctionum causalium apud Tacitum usu. Halis 1881.

dicendi pellectus partes eius, cuius vel sententias vel verba narrat, suscipiens ipse dicit, quod ab illo dici e sententiarum nexu exspectamus." Draegerus[1]) hanc dicendi consuetudinem ad coniunctionem „dum" pertinentem commemorans, quam apud Tacitum haud raram esse docet, inter eos qui hoc indicativo abstineant, Suetonium quoque esse dicit. Qua in re eum erravisse ex his duobus exemplis satis apparere videtur; nisi quis forte pro indicatio (*spatiatur*, *conatur*) coniunctivum (*spatiaretur*, *conaretur*) emendandum esse existimat. Quod quamvis levi mutatione effici possit, tamen plane inutile est, praesertim cum praeter causalia etiam in aliis enuntiatis secundariis orationis obliquae Suetonius satis saepe indicativum habeat pro coniunctivo.

Necessaria autem contraria verbi commutatio mihi esse videtur alio loco, ubi libri exhibent:

> *Aug.* 78: *Sic quoque saepe indigens somni, et dum per vicos deportaretur et deposita lectica inter aliquas moras condormiebat.*

Ibi cur coniunctivus ponatur cum causam non esse videamus, aut legendum est *dum deportatur,* ut eadem sit constructio atque illo loco (Vesp. 21), de quo paullo supra diximus; aut *cum deportaretur*, id quod mihi minus probatur.

Dum = *so lange als* (quamdiu).

In ipsius Suetonii oratione omnino desunt eiusmodi periodi, in quibus haec vis in coniunctione insit; inveniuntur autem duobus locis, ubi quae quis alius dixit vel ad verbum vel obliqua oratione referuntur. In utroque exemplo tota periodus ad tempus futurum spectat, ita ut in oratione directa indicativus futuri, in obliqua coniunctivus imperfecti particulam sequatur. Sunt autem loci, quorum alter ex Augusti literis, alter ex eiusdem edicto sumptus est, hi:

> *Claud.* 4: *Tiberium adulescentem ego vero, dum tu aberis, cotidie invitabo ad caenam.*
> *Aug.* 31: *professus edicto commentum se id, ut ad illorum velut exemplar et ipse, dum viveret, et insequentium aetatium principes exigerentur a civibus.*

Iam hic addere mihi liceat reliquas eiusdem significationis coniunctiones, quae sunt „donec quoad quamdiu", Suetonium plane evitasse, praeterquam quod uno loco ipsa imperatoris Tiberii verba afferens particulam „quamdiu" cum coniunctivo plusquamperfecti pro futuro exacto posito coniungit atque dicit:

> *Tib.* 67: *cum ait similem se semper sui futurum nec umquam mutaturum mores suos, quamdiu sanae mentis fuisset.*

Dum = *so lange bis.*

Huius significationis duo sunt loci Suetoniani, quorum unus habet indicativum futuri:

> *Tib.* 24: *Dum veniam ad id tempus, quo* etc.

Ibi enim ex eis, quae antecedunt, ad Tiberii verba enuntiatum secundarium cum futuro tempore verbi sic fere supplendum est: „imperium tenebo". Altero loco legimus:

> *Nero* 48: *ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur* etc.

Ibi coniunctivus imperfecti particulam sequitur, quia non solum temporalem, sed etiam finalem vim habet enuntiatum secundarium.

Donec.

Haec coniunctio aeque atque ea de qua paullo infra dicemus, „quoad", nusquam vertenda est *so lange als*, sed semper apud Suetonium idem valet quod nostrum *so lange bis, bis endlich.*

---

1) l. l. II. p. 606, § 507, 1 A. b. α.

Atque cum plurimis locis in enuntiatis temporalibus nihil nisi terminum temporis significet, plerumque indicativum post se habet, eumque perfecti: praesens et futurum exactum non inveniuntur. Cuius rei duodecim exempla Suetonii libri praebent, quos breviter enumerare liceat:

Iul. 1: *donec . . veniam impetravit. Iul.* 28: *donec . . rettulit ad senatum. Iul.* 82: *donec . . domum rettulerunt. Aug.* 16: *donec . . portum Iulium . . effecit. Tib.* 45: *donec ea . . se abripuit ferroque transegit. Cal.* 22: *donec . . Palatium Capitoliumque coniunxit. Nero* 20: *donec . . prodire in scaenam concupiit. Galb.* 8: *donec . . oblata est. Galb.* 20: *donec . . caput ei amputavit. Otho* 6: *donec . . ad principia devenit. Vit.* 17: *donec . . in forum tractus est. Dom.* 3: *donec virtutes quoque in vitia deflexit.*

Saepius in his locis connexus enuntiatorum quodammodo neglectus esse videtur, ut ellipsi quadam, ut ita dicam, omissum sit id, cum quo enuntiatum illud ex coniunctione pendens artius cohaereat [1]); velut in primo exemplo, Iul. 1, ante coniunctionem „donec“ supplendum esse videtur: „hoc per tantum temporis spatium fiebat, donec etc.“

In oratione obliqua hanc coniunctionem uno loco cum coniunctivo perfecti coniunxit Suetonius:

Cal. 59: *satis constat . . . nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit.*

Ibi de consecutione temporum idem valet quod supra diximus in paragrapho 2, ubi agitur de particula „ut“. Aliorum temporum coniunctivi in huiusmodi enuntiatis particulam „donec“ non sequuntur.

Ubi vero enuntiatum secundarium simul cum temporali finalem vim habet et consilium eius qui agit vel exspectationem continet, secundum communem legem semper coniunctivus pendet ex hac particula, omniaque, quae afferre possumus, sex exempla imperfectum habent:

Iul. 16: *propugnatorem pertinacissime se praestitit, donec ambo administratione . . submoverentur. Aug.* 17: *nec amplius septem et viginti dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundisii commoratus. Aug.* 48: *rectorem solitus apponere aetate parvis aut mente lapsis, donec adolescerent aut resipiscerent. Aug.* 78: *ibi, donec residua diurni actus . . conficeret, ad multam noctem permanebat. Tib.* 63: *consulares . . usque eo detinuit, donec successores . . praesentibus daret. Claud.* 45: *Mors eius celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur.*

Quoad.

Etiam in usu huius coniunctionis „quoad“ (*so lange bis*) distinguendum est, utrum temporalem an finalem vim in enuntiato secundario inesse scriptor voluerit. Ad priorem partem novem loci Suetoniani sunt referendi; ex quibus in oratione recta indicativum perfecti hi quinque habent:

Iul. 14: *quoad manus . . comminata est. Tib.* 14: *quoad . . exclusus est. Vesp.* 4: *quoad . . oblata est. Dom.* 2: *quoad . . deseri iussit. Dom.* 11: *quoad novissime . . inquit.*

Praeterea in oratione subiuncta, ubi ipsum verbum regens, ex quo pendet enuntiatum, modum coniunctivum vel infinitivum habet, coniunctivus imperfecti sequitur his quatuor locis:

Iul. 20: *in eam coegit desparationem, ut, quoad potestate abiret, nihil aliud quam . . obnuntiaret. Iul.* 29: *pepigit, ut . . una legio cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret. Cal.* 27: *verbenatum . . per vicos agerent, quoad praecipitaretur ex aggere*

1) cf. Draeger, Syntax u. Stil des Tacitus, p. 65.

Cal. 38: *nota res est . . . nec licendi finem factum, quoad XIII gladiatores sestertio nonagies ignoranti addicerentur.*

Vim finalem inesse in hac particula ideoque coniunctivum imperfecti eam sequi uno loco videmus:

Tib. 25: *dextram obambulantis veluti incumbens, quoad perageretur sermo, continuit.*

§ 4.

Antequam, priusquam.

Hae coniunctiones cum nec significatione (nostro sermone vertendae sunt: *ehe, bevor*) nec usu et constructione multum inter se differant, eodum tempore una tractari possunt. Suetonius particulam „antequam", pro qua numquam dixit „anteaquam", sequente verbo finito septies et decies usurpavit, „priusquam" septies et vicies; illud „antequam" in enuntiatis affirmativis non invenitur, nisi certis numeris expressum est, quanto temporis spatio prius factum sit id quod in primario enuntiato, quam id quod in secundario narratur, ita ut vocabulum „ante" sit praepositio cum accusativo vel adverbium cum ablativo mensurae coniunctum. Contra priusquam et in affirmativis et in negativis invenitur enuntiatis, sed numquam additum est temporis spatium accuratius circumscriptum. Utrum Suetonius „ante quam" et „prius quam" ita scripserit, ut bina vocabula sint, an singula „antequam" et „priusquam", dubium vix esse potest. Nam „antequam" non plus tribus locis ita legitur, ut unum vocabulum esse possit [1]), reliquis omnibus locis uno pluribusve verbis interpositis in duas partes disiectum est; particula „priusquam" quamquam rarius in duas partes dirempta est interiectis aliis verbis, quae sunt vel adverbia „vero" et „igitur" vel verbum finitum enuntiati regentis, tamen ex his exemplis satis apparere videtur Suetonium semper binis verbis scripsisse „ante quam" et „prius quam", nec sine iusta causa Rothium in editione sua hanc rationem secutum esse.

Ex harum particularum constructione maxime cognosci potest, quantopere Suetonius coniunctivum praetulerit indicativo; nam hoc verbi modo, quem post has coniunctiones priores scriptores [2]) minime raro posuerant, hic plane abstinuit omnibusque locis coniunctivum posuit. Itaque hoc loco quaestione de usu modorum supersedemus, nec doceri opus est, quid vel enuntiatorum sententia vel tempus prioris membri, vel addita negatio valuerit ad eligendum verbi modum; de qua re „fluctuantes interpretum et grammaticorum opiniones corrigere et quasi concinnare" studuit H. S. Anton [3]). Nam si recte Gerberus [4]) iudicat: „Notissimum est in universum apud rerum scriptores usum modi coniunctivi apud coniunctiones temporales multo sensim frequentiorem factum esse, quippe qui nexum causalem qui dicitur vel in ratione temporali magis spectarent", hac via Suetonium tantum processisse videmus, ut post coniunctiones „antequam" et „priusquam" indicativum omnino non posuerit.

De usu autem harum coniunctionum haec fere observanda videntur esse. In enuntiatis ad tempus futurum spectantibus deest „antequam", „priusquam" tribus invenitur locis:

---

1) cf. Hand, Tursell. I. 394: sed quando vis imponitur maior, suo accentu utrumque vocabulum effertur, etiamsi proximo loco se attingunt; id in primis tum fit, quum ante cum substantivo cohaeret. (Suet. Vesp. 2.)

2) v. Draeger, l. l. II. p. 618, § 512, 1; id. Synt. d. Tac., p. 65; Kühner, l. l. II². p. 904 sq., § 209.

3) H. S. Anton, Beobachtungen über die Construction der lat. Zeitpartikeln Antequam und Priusquam. Erfurt 1871.

4) Gerber, De coniunctionum temporis ante- (prius-), postquam etc. usu Taciteo. Glückstadt 1874.

Iul. 44: *de qua prius quam dicam . . . non alienum erit.* *Tib.* 67: *quod prius quam eveniat, opto ut . . eripiat.* *Aug.* 35: *sanxit ut prius quam consideret quisque . . supplicaret.*

In primo illo exemplo sine dubio coniunctivum praesentis habemus, duo reliqua, in quibus enuntiata subiuncta sunt verbis particulam „ut" sequentibus, habent coniunctivum praesentis et imperfecti secundum leges consecutionis quam vocant temporum.

In narratione rerum praeteritarum „priusquam" plerumque coniungitur cum coniunctivo imperfecti, semperque sunt ea enuntiata affirmativa; cuius rei sunt viginti exempla:

Aug. 4: *prius quam . . posset.* *Aug.* 19: *prius quam invalescerent.* *Aug.* 43: *prius quam interdiceretur.* *Aug.* 74: *prius quam ille discumberet.* *Aug.* 76: *prius quam inciperem.* *Aug.* 94 [79, 4]: *prius quam nasceretur.* *Ibid.* [79, 28]: *prius quam pareret.* *Tib.* 2: *prius quam . . coniungeretur.* *Tib.* 20: *prius quam . . flecteret.* *Cal.* 1: *prius quam iniret.* *Cal.* 12: *prius quam inauguraretur.* *Cal.* 48: *prius quam . . decederet.* *Cal.* 59: *prius quam id fieret.* *Claud.* 44: *prius igitur quam . . progrederetur.* *Nero* 23: *prius quam inciperet.* *Nero* 47: *prius quam perveniret.* *Galb.* 19: *prius vero quam occideretur.* *Vesp.* 5: *prius quam committeretur.* *Tit.* 11: *prius quam . . convocaretur.* *Dom.* 2: *prius quam efflaret.*

Rarius nec sine negatione invenitur plusquamperfecti coniunctivus his tribus locis:

Cal. 3: *non prius . . induxerit quam . . comperisset.* *Claud.* 1: *non prius destitit quam . . prohibuisset.* *Otho* 2: *ut . . prius quam . . impetrasset . . non dubitaret . . introducere.*

Unus denique exstat locus, qui habet coniunctivum perfecti:

Aug. 16: *eum . . stupidum cubuisse nec prius surrexisse . . quam fugatae sint hostium naves.*

„Antequam" non invenitur nisi in praeteritarum rerum narratione locumque tenet aut in negativis enuntiatis aut in affirmativis cum significatione temporis vel accusativo vel ablativo expressa. Illius generis sunt sex exempla, quorum tria habent imperfecti, tria plusquamperfecti coniunctivum:

Iul. 18: *ante quam . . . ornarentur.* *Claud.* 12: *ante . . quam . . affirmarent.* *Nero* 20: *ante . . quam . . absolveret.* *Iul.* 67: *ante . . quam . . vindicasset.* *Tib.* 18: *ante . . quam . . explorasset.* *Cal.* 28: *ante . . quam . . vidisset.*

Alterius generis sunt undecim exempla, quae omnia habent coniunctivum imperfecti:

Iul. 9: *ante paucos dies quam . . iniret.* *Aug.* 94 [79, 13]: *ante paucos quam nasceretur menses.* *Aug.* 101: *ante annum . . quam decederet.* *Tib.* 14: *ante . . paucos quam revocaretur dies.* *Tib.* 74: *ante paucos quam obiret dies.* *Cal.* 1: *quinquennio ante quam . . liceret.* *Cal.* 8: *ante paucos quam obiret menses.* *Cal.* 44: *ante paucissimos quam consummaturi essent dies.* *Nero* 56: *ante paucos quam periret menses.* *Vesp.* 2: *quinquennio ante quam . . excederet.* *Dom.* 23: *ante paucos quam occideretur menses.*

In his a ceteris quodammodo diversum est illud verbum „consummaturi essent" (Cal. 44), sed nihil habet mirandi; est enim coniugatio quam vocant periphrastica, qua haud raro Suetonius utitur; hic vertendum est: *wenige Tage bevor sie (der Bestimmung gemäss) entlassen werden sollten.* De collocatione horum verborum animadvertendum esse videtur, si pars secundaria uno praeter particulam „quam" consistat verbo, hoc fere ita positum esse, ut, si fieri possit, inter adiectivum et substantivum temporis spatium definientia locum teneat, velut „ante paucos quam obiret dies". Quae formula quasi constans septies invenitur, uno loco (Aug. 101) neglecta est.

Ellipticum, ut ita dicam, usum huius coniunctionis, cuius pauca exempla ex Tacito desumpta Gerberus [1]) affert, in quo omittitur verbum finitum ex coniunctione pendens, apud Suetonium non invenimus.

Iam ut supra (pag. 5) vidimus pro „die post quam" Suetonium scripsisse „postridie quam", ita pro „die ante quam" legimus „pridie quam", quae verba apud Suetonium semper sequitur coniunctivus imperfecti. Ad duo huius rei exempla quae Draegerus [2]) attulit, quatuor addere possumus:

Iul. 87: *pridie quam occideretur. Aug.* 96: *pridie quam committeret. Tib.* 14: *pridie quam certior fieret. Cal.* 57: *pridie quam periret. Dom.* 11: *pridie quam crucifigeret. Dom.* 16: *pridie quam periret.*

Denique de singulari quodam et proprio Suetonii usu harum particularum dicendum est, quem apud priores scriptores, quantum video praeter Livium [3]), nusquam invenimus. Haud enim raro Suetonius, ut est participiorum amantissimus — vide sis quae de hac re Thimmius dixerit in extrema disputatione sua — non solum coniunctiones „ut, quasi, quamquam, quamvis", sed etiam „antequam" et „priusquam" in enuntiatis negativis cum participiis coniungit. Eius rei exempla, e quibus unum Draegerus affert, Baggius [4]) duo, exstant novem, quinque apud „non prius quam", quatuor apud „non ante quam":

Aug. 53: *nec prius . . desiit, quam grandis iam natu et . . vexatus. Tib.* 23: *non prius palam fecit quam Agrippa . . interempto. Tib.* 37: *non prius . . misisset quam extorta pecunia. Cal.* 27: *non prius occidit quam offensus. Galb.* 11: *non prius . . reciperavit quam oppressis qui* etc. *Iul.* 58: *nec . . ante . . passus est quam . . obrutus. Vit.* 8: *nec ante . . rediit quam flagrante triclinio. Vesp.* 6: *nec . . ante temptavit . . quam sollicitatus. Vesp.* 15: *non ante succensuit quam . . redactus.*

In primo exemplo sic ut scripsi verba legenda esse puto, ita ut illud „grandis natu" coordinatum sit illi participio quod sequitur „vexatus", cum in priore membro participium verbi substantivi (gr. ὤν) supplendum sit, id quod apud Suetonium saepissime occurrit. Itaque habemus in his exemplis constructionem ablativi qui vocatur absoluti quatuor, participii coniuncti quinque locis. Quodsi hanc dicendi consuetudinem Suetonii respicimus, non difficillimum videtur restituere illum locum (Cal. 25), ubi lacunam statuendam esse in verbis *uxorio nomine dignatus est quam enixam* recte Rothius vidit, cum alii editores mutata verborum collocatione locum corrigere studuissent. Sed ex ea ratione, qua sententiae se excipiunt, satis apparere mihi videtur verba ita restituenda esse: *uxorio nomine non prius dignatus est quam enixam.* Quod cum etiam Rothius [5]) coniecisset, cur in textum recipere dubitaverit non intellego. Neque enim in eo offendi posse puto, quod in ceteris exemplis, ubi participium coniunctum sequitur particulam „priusquam", hoc semper nominativum casum habet et ad subiectum enuntiati regentis referendum est, nostro autem loco participium „enixam" cum obiecto verbi „dignatus est" coniungi necesse est; cuius rei exempla etiamsi apud Suetonium non praesto sunt, tamen apud Livium, cuius usum Suetonius hac constructione imitatus est, non desunt; velut VII. 35, 5: *hunc tam opportunum collem non ante viderit quam captum a nobis.*

---

1) l. l. p. 4.
2) l. l. II. p. 629, § 513, 2 b. (Aug. 95 mendum est pro 96).
3) Draeger II p. 817, § 592; Kühnast, Hauptpunkte d. livianischen Syntax, Berlin 1872, p. 269 sq.
4) l. l. p. 105.
5) l. l. p. XLIII.

§ 5.

Cum.

Haec particula „cum" et apud alios scriptores et apud Suetonium frequentissima est omnium coniunctionum temporalium. Nam quamvis hic magno studio participiorum constructione usus sit, tamen plus trecenties in eius libris particulam „cum" invenimus. Sed in his locis non nulli sunt, quos in hac disputatione praetermittere possumus, cum in hac coniunctione non temporalem, sed nihil nisi causalem aut concessivam vim inesse appareat. Itaque quamquam persaepe vim causalem et temporalem coniunctam videmus, ut utra praevaleat discerni vix possit, tamen valde miror quod Trachmannus, qui scripsit „de coniunctionum causalium apud Suetonium usu" de hac particula „cum causali" ne verbum quidem fecit. Qua de causa non ab re esse videtur aliqua affere exempla ad hanc vim causalem demonstrandam, ex quibus cognosci poterit „cum causale" praeter imperfectum et plusquamperfectum etiam prasentis et perfecti coniunctivos post se habere, qui cum temporali coniunctione „cum" numquam coniunguntur.

> *Cal.* 8: *praesertim cum . . dilexerit tradaturque . . Tib.* 21: *praesertim cum . . iuraverit et . . prosequatur. Cal.* 12: *cum sint quidam auctores. Claud.* 38: *cum liber editus sit. Iul.* 18: *cum . . ratio haberi non posset. Claud.* 36: *cum Silio adquiri imperium credidisset.*

Etiam significationis concessivae („cum" = *obgleich*, *da doch*, *während*) pauca exempla afferre mihi liceat:

> *Cal.* 23: *cum . . certum sit. Aug.* 63: *cum maxime cuperet. Iul.* 21: *cum Crassum soleret. Cal.* 48: *cum . . denuntiasset.*

Iam veniamus ad eum usum coniunctionis „cum", qui est in enuntiatis ad tempus solum spectantibus, ac primum de indicativo, deinde de coniunctivo in his enuntiatis adhibito dicamus. Tempora, quorum indicativo post particulam „cum" Suetonius utitur, sunt praesens, futurum, futurum exactum, perfectum. Indicativus praesentis semper coniunctus est cum eodem verbi regentis tempore, cuius rei quatuor sunt exempla:

> *Aug.* 87: *in quibus . . cum . ' significare vult, ad Kal. Graecas soluturos ait; et cum hortatur . . contenti simus hoc Catone. Claud.* 4: *qui possit cum declamat σαφῶς dicere . . non video. Tib.* 21: *attenuatum te esse . . cum audio et lego, di me perdant nisi cohorrescit. Tib.* 67: *quod ex oratione eius . . colligi potest, vel cum ait . . se futurum.*

Ex his locis tres priores actionem saepius repetitam [1]) significant et particula vertenda est *wenn*; in postremo loco verba „cum ait" (*wenn er sagt*) ex Suetonii consuetudine variandae sermonis formae orta et conferenda sunt cum eis quae praecedunt „ex oratione eius"; utraque causam afferunt ex qua colligi potest vera esse quae antea scriptor de Tiberio iudicaverit, ita ut particula „cum" idem fere sit quod „ex eo quod" [2]).

Futurum et futurum exactum quamquam in ipsius Suetonii narratione non inveniuntur, tamen quatuor locis leguntur, ubi ad verbum scriptor affert, quae quis alius vel locutus est vel in epistula scripsit; in enuntiato primario aut positum aut supplendum est forma verbi ad tempus futurum spectans.

---

1) v. Draeger II. p. 544, § 497. A. 1; Kühner II². p. 880, § 202 I. 2.
2) v. Kühner II². p. 881, § 202 I. 3.

Aug. 69: *ita valeas, uti tu, hanc epistulam cum leges, non inieris. Vesp.* 20: *Dicam, inquit, cum . . desieris. Nero* 10: *agenti . . gratias respondit: cum meruero. Galb* 4: *irridens sane, inquit, cum mula pepererit.*

Paullo frequentius quam illa tempora Suetonius perfectum indicativi post particulam „cum" posuit, neque in hac re a communi sermonis latini usu recessit, nisi quod etiam hic cognoscere possumus, quantopere coniunctivo studuerit. Nam cum omnibus fere locis huc pertinentibus alios conferre possumus, ubi quamquam simillima vel potius eadem est ratio sententiarum, tamen coniunctivum posuit; neque hoc mirum est, quoniam eandem rem utrum ita ut coniunctivo an ut indicativo opus sit scriptor exprimere velit, persaepe ex solo eius arbitrio pendet. Exempla autem huius coniunctionis, quam „cum temporale" artiore quodam sensu grammatici vocant, quam nostro sermone vertunt „*damals als, zu der Zeit wo, wann*", haec fere sunt, quae ita composui ut inter se similia sunt:

Iul. 36: *prosperrime semper . . praeterquam bis, dimicavit: semel ad Dyrrachium . . iterum in Hispania . . cum . . de nece . . cogitavit. Aug.* 28: *de reddenda re p. bis cogitavit: primum . . ., ac rursus . . cum rationarium imperii tradidit.*

Cum his locis compares quaeso alios, ubi in eadem fere enuntiatorum ratione coniunctivum scriptor posuit: Tib. 6 [89, 2], Claud. 6 [151, 30].

Aug. 81: *graves . . valetudines . . aliquot expertus est; praecipue Cantabria domita, cum . . rationem medendi subiit. Tib.* 46: *pecuniae parcus . . una modo liberalitate . . prosecutus, cum . . sestertia . . distribuit. Cal.* 9: *quantum . . valuerit, maxime cognitum est, cum . . flexit.*

Cum in his quae proposuimus exemplis nihil sit, in quo haereamus, quae restant duo accuratius tractanda sunt. Nam scriptum videmus:

Claud. 21: *qualis* (sc. iocus) *est, ut cum Palumbum postulantibus daturum se promisit, si captus esset.*

